

I. N. J.

23

ADUMBRATIO
FLORÆ,
DISSERTATIONE ACADEMICA LEVI-
TER DELINEATA,

QUAM,

Consensu Ampl. Facult. Phil. in Reg. Acad. Aboëns.

PRAESIDE,

DN. PETRO KALM,

Oeconom. PROFESS. nec non Societ. Reg.

Stockh. MEMBRO,

Publice examinandam fuit

GUSTAVUS ORRÆUS. M. F.

WIBURGENSIS.

In audit. superiori, ad d. IV. Decembr. MDCCCLIV.

Horis, ante meridiem consuetis.

ABOÆ, Impressit Direct. & Typog. Reg. M. Duc. Fin-
land. JACOB MERCKELL.

A
MONSIEUR
**GEORGE G.
KALLMANN,**
Gouverneur de Province de Kymme-
negardie.

MONSIEUR.

Il est aussi juste que naturel de respecter La Vertu & la noblesse, quand elles sont accompagnées des sciences, & qu'elles sont sur tout possédées par des personnes de qualité. Il faut même quel' Idiot sans le vouloir, ait beaucoup d'estime pour elles; & que le sçavant au contraire soit rempli d'admiration de voir la nature avoir réuni tant de perfections dans une Seule. C'est aussi avec raison, Monsieur, qu'elle a voulu faire patroître en vous son chef d'oeuvre, & qu'elle vous a orné de tous les avantages tant de l'âme que du corps. Pour moi Monsieur, qui ai eu depuis quelque tems l'honneur & le bonheur d'être connu de votre Excellence, & de pouvoir reconnoître en votre haute personne les grands services que vous avez daigné me rendre, non comme mon Supérieur, mais comme un de mes plus gracieux Protecteurs, ne soyez point surpris, je vous supplie, de ce que toute la Province & moi-même nous nous applaudissons d'ayoir été assez heureux

leur, de trouver un Seigneur semblable à votre Excellence,
& un Protecteur avec autant de mérites que les vôtres.

Ne pouvant donc trouver des moyens suffisans pour vous remercier très humblement de toutes vos bontés, Monseigneur, à mon égard, vous me permettrez, par grace, de vous offrir cette dissertation telle simple qu'elle soit, & de la vouloir regarder comme une des moindres marques de mes obligations.

De plus ayant toujours plu à votre Excellence de prendre le soin de mes études, c'est ce qui me fait espérer la communication de vos bonnes graces par mon exactitude à acquerir les Sciences, & à obeïr toujours à vos très gracieux commandemens en toutes sortes d' occasions.

Regardez donc, Monseigneur, d'un œil favorable & avec vos bontés accoutumées le petit ouvrage que je prends la hardiesse de vous dedier, & ne vous laissez jamais d'accorder vos faveurs à celui qui fera toute sa vie

DE VOTRE EXCELLENCE

MONSIEUR

Le très humble & très obéissant
serviteur

ÉLEVATUO

GUST. ORRÆUS.

VIRO Amplissimo Consultissimoque,

**DN. CAROLO
DICHÆO,**

Gubernationis Wiburgealis Camerario meritissimo,
Avunculi loco omni veneratione colendo.

VIRO Plurimum Reverendo & Clarissimo,

**DN. MAGNO
ALOPÆO,**

Ecclesiarum Wiburg. Archi-Diacono vigilantissimo,
Patrui loco omni pietatis affectu prosequendo.

VObis. Patrui. Et. Ayunculi. Honoratis-
dicium. Cum. Omnigenæ. Felicitatis. Ad-
Et. De-

VO-

Addicis-

GUSTAVUS

SUPRA TERRA

VIRO Spectatissimo,
**DN. FRANCISCO
ALOPÆO,**

Mercatori Wiburgensi prudentissimo, Patrui loco
venerando.

VIRO Spectabili,
**DN. BENJAMIN
MÖLLER,**

Mercatori Petropolitano conspicuo, Avunculo, ut u-
nico, ita quoque propensissimo, charissimoque.

fimi. In. Qualecunque. Gratissimi. Animi. In-
precatione. Opusculum. Hoc. Dat. Dicat,
dicat.

BIS.

finis.

ORRÆUS.

VIRO plurimum reverendo atque Clarissimo
D^N. MAGNO ORRÆO,
Ecclesiæ, quæ DEO in Taipalsari, & Clemis colligitur,
Antistiti gravissimo meritissimoque,
PARENTI INDULGENTISSIMO.

Beneфicia illa, Parens Optime, quibus me semper cumulaſti, tanta ſunt, quanta vix animo concipere, ne-
dum verbis explicare valeo. E tenerrima uſque mea etate, muſarum me ſacris initiari curaſti, nihilque eorum,
quæ ad me erudiendum conſerrent, omiſiſti. Progrediuſ
ſtudiorum meorum tante Tibi fuerunt curæ, ut nullis,
quos ferre unquam valuiſti, ſumib⁹ perperceris: ut
multa taceam, quibus recenſendis me imparem agnoſco.
Benigno igitur Paterñoque adſpicias vulnū, quas Tibi,
primitias Academicorum meorum laborum conſecrare fu-
ſineo, non eo quidem animo, ut illis gratiam referam,
verum ut ſit, quo pietatem & reverentiam, qua Tibi me
obſtrictum eſſe ſcio, publice declarem. De cetero, Deinde
T. O. M. affiduis compellare precibus non deſiſtam, vellet
Te ſalvum & incoluſem ad Nestoreos uſque annos conſer-
vare, in Eccleſia. Tibi concretæ certiſſimum emoluimien-
tum, & familiæ Tuæ ſolatiuſum fulcrumque maximum. Hæc
vota ſunt, quæ magis ſincere quam copioſe fundit

PARENTIS INDULGENTISSIMI,

Filius obedientiſſimus
GUSTAV. ORRÆUS.

PRÆSTANTISSIMO DOMINO AUCTORI,
Amico & Consangvineo Honoratissimo.

Loco encomii, qua egregias animi Tui, Amice
& Consangvinee honoratusime, dotes, eru-
ditionemque haud vulgarem, debitum extollerem
laudibus, liceat hac ex animo gratulari; neque
enim meo indiges praconio, qui tot luculentissima
maximi ingenii, solidæ eruditioñis, suavissimorum
morum, singularis probitatis atque constantiae de-
disti documenta. Opto, ut ad altiora indies in-
offenso pede progrediaris, & ut DEUS, I. O.
M. conatibus Tuis honestissimis semper faveat;
sic ejus gloriam, nec non Reipublicæ & Ecclesie
commoda promovebis: unde Parentes & Amici,
uberrimam Libi & Sibi gratulandi accipient ma-
teriem.

TUUS

KIT

Ex Ape;
GUST. JAC. HOFFREEN.


PEREXIMIO atque POLITISSIMO,
Dn. GUSTAVO ORRÆO,
Conterraneo & amico singulari.

Scientiam vegetabilium esse laude dignissimam, nemini in artibus ingenuis vel tantillum versato, hodie est ignotum. Hæc namque illos aperit campos, in quibus & Medicina & Oeconomia suas colligunt opes. Maximas itaque gratias, Amice honoratissime, premere ris, eo quod modum ostendis facillimum, quo præstans tissima hæc naturæ munera cognoscere, & in rem nostram vetere queamus. Ista mibi sors contigit, qua dulcem Tecum amicitiam colere licuit, non modo cum frequentaremus Viburgensem Scholam Cathedralem, sed etiam dum porro hic ad Regiam hancce Academiam versati fuimus. Tibi itaque grazulor eruditionem pulcherrimam, tam in iis, quæ in hac egregia dissertatione præclare exponuntur, quam etiam in aliis optimis Scientiis. Pergas hac incedere via ! Sic solum natale carissimum, successu temporis in Te naturum est decus & ornamentum certissimum, Fautoremque propensissimum Amici, quorum in numero me semper habeas

TIBI

MARIAH. OHL. DUD

Obstrictissimum
JOH. AUG. KROOK.



D. D.



Uo longius in perscrutandis natu-
ræ adytis progredimur, quoque
majores in Historiæ Naturalis in-
incrementa labores impendi-
mus, eo infatigabiliorem libera-
lioremque in novis indies sup-
ditandis objectis, quibus occu-
pari possint ejus rimatores, illam comperimus. Dum
multæ scientiæ jam ad fastigium fere summum pro-
vectæ conspiciuntur, vel saltim possibile videtur
eas provehi, Historia Naturalis hoc nunquam vel
ominari potest. In illis plerumque dictum hoc va-
let: *Nihil dici potest, quod non dictum est antea*, in
hac veronon ita. Aliæ ab uno homine in Musæo com-
mode tractari possunt scientiæ, hæc vero plurium
eorumque indefessum flagitat laborem. Quapro-
pter nec mirari fas est, a veteribus in scientia hac,
ut in pluribus aliis, aliquid singulare præstitum non
esse. Præstantiæ enim ejusdem nondum tam lucu-
lenter convicti, in hoc laboriosissimum, quamvis

A

simul

simul jucundissimum studium, paucissimi tantum, idque fere solum Medicinæ caussa, incubuere. Constabilita vero, & extra omnem dubitationis aleam, recentiori ætate, posita præstantia & necessitate Historiæ Naturalis, majori cum nisu huic studio operam suam dederunt viri perspicacissimi longeque celeberrimi, fructusqve laborum suorum partim jamjam præbuerunt, partim quoque præbituri erunt, dulcissimos.

Botanice, nec minima Historiæ Naturalis pars, magnum hodie occupat agmen eruditorum, quorum omnes, certando quasi, aliquid ad hanc promovendam conducere allaborant scientiam, quam tantum in vita humana influxum, usumque habere, animadverterunt. Non contenti magis cortice rerum, earundem jamjam perlustrant interiora, majoribusque indagatis, nec minora spernunt. Non eo contenti, quod numerum tantummodo augere possint vegetabilium, etiam de natura viribusque eorum perscrutandis, publicæque sic utilitati inserviendo, satagunt. Sic jamjam anxie tempora exspectamus illa, quibus falcem, in tam lætam, ab illis productam, immittere possimus, messem. Et quamquam ipsi, de hisce omnibus, vivi sibi gratulari nequeunt, grata tamen posteritas, gratias illis habere, non intermittet, immortales.

Celeber. D. Præses, cuius mihi per tempus contigit venerari doctrinam informationemque singularem, discipulos suos saepius admonuit, ut rurri versantes, Florulas quasdam suarum conscriberent regio-

regionum, quod nempe & in exercitationem eorum, & publicam quoq; forte conduceret felicitatem. Hujus rei memor, specimen editurus Academicum, hanc præ cæteris elegi materiam, idque potissimum ideo, ut & condiscipulis meis hoc ipso qualicunque labore inservire possem, & mihi ipsi in hunc incumbenti, eo majores hisce in rebus progressus faciendi præbere-tur ansa. Interea, Te B. L. rogatum volo, meos hosce conatus juveniles, pro humanitate Tua, æqui bonique consulas.

§. I.

PEr *Floram* intelligimus enumerationem plantarum certæ alicujus regionis aut loci. Nostrum hic non est, varia proferre Floræ synonyma, quibus Botanici usi sunt, uti cum ab aliis vocetur Catalogus, ab aliis Elenchus, Synopsis, Pinax, Botanologia, Phy-tologia, Chloris, &c. sed cura nostra potius hæc erit, ut ea adferantur, quæ in aliqua Flora in usum Litterarum & Reipublicæ elaboranda, in primis ob-servanda, videntur.

Multi tam veterum quam recentiorum, in nuda enumeratione plantarum substiterunt; alii plura cu-mulaverunt Synonyma, neglectis fere omnibus, quæ ad plantarum tam usum Medicum quam Oeconomi-cum, descriptionem, illustrationem, & plura attinent; alii aliter. Paucissimi de iis, quæ Floræ nitorem, & Reipublicæ utilitatem adderent, solliciti fuerunt. Gra-tulamur vero præsenti seculo, quo non tantum or-namenti caussa, sed etiam Patriæ commodo, litteras discimus. Quid enim mihi prodest, si plantas mille

A 2

cognoscamus?

cognoscam, earumque nomina enumerare possim, u-
su & viribus illarum in felicitatem civium mihi mi-
nime perspectis? Sed ad propositum revertendum.

In Prolegomenis *Floræ rite conscribendæ*, de-
scriptio brevis regionis Geographica & Physica
tradenda est, ut Lectoribus, in primis exteris, pa-
teat, quam matrem plantæ enumeratae exosculentur,
atque quale ibidem sit Clima sciantque an terra hæc
alpibus, montibus, planis, lacubus, fluviis, paludi-
bus, sylvis &c. gaudeat; an mari alluatur: qualis æ-
stas, hyems, & reliqua anni tempora: quis gradus
caloris summi, frigorisque. Taceo, quod in Præfati-
one etiam exponi soleat, quot annos auctor operi
impenderit: an ipse maximam partem regionis plan-
tarum caussa peragraverit, vel an ab aliis accepta & re-
lata retulerit: illorum, quibus vel multas, vel novas
plantas, vel singularem earum usum debuit, grata men-
tio, ut sic stimuli etiam aliis addantur scientiam hanc
promovendi. Hæc & ejusmodi plura, haud mi-
nimam lucem Botanophilo adferunt.

§. II.

JAm ad ipsum progrediemur opus. Primum, quod
hic observandum se offert, est ORDO in plantis di-
sponendis. Diversus hic diversis fuit aucttoribus.
Quidam ordinem elegerunt alphabeticum, quum sic
facilius pianta, cognito nomine, evolveretur; sed
in hoc nullus est nexus diversorum generum in ve-
getabilibus, inde enim efficitur, quod plantæ quæ in
ordinibus naturalibus quam maxime inter se cohæ-
rent, a se invicem separentur. Dispositio vegetabi-
lium secundum menses; vel tempus florendi, aliis arri-
sit,

fit, sed hic quoque ipsa genera inepte lacerantur, quum quædam species vere florentes e. g. in Aprili, ibidem etiam collocentur, cæteris vero, quæ sæpe sub finem æstatis, v. gr. in Septembri, flores proferunt, in illo mense locus concedatur.

Naturæ vero magis convenientem viam ingrediuntur, qui Systematice plantas disponunt. Dantur quidem plurima Systemata, at non omnia eodem cum successu concinnata. Perspecta enim insuffici-entia & incommoditate cognitionis vegetabilium Empiricæ, (*) necessitateque Systematis, varios ex cogitarunt modos Botanici, quibus Systemata sua ita adornarent, ut omnia ad illa vegetabilia referri, minimoq; cum labore ex iisdem dignoscij possent. Multas igitur hanc in rem, quibus Systemata sua superstruerent, partes plantarum tentarunt. Alii sumserunt caulem, vegetabilia in herbas, subfrutices, frutices, & arbores dividentes. Alii iterum radicem, alii folia, alii corollam fallere non posse credebant. Hæc diu obtinuerunt Systemata, donec observationibus adhibitis, itineribusque in remotiores terræ partes institutis, varia hic labefactantia detexerint Botani- ci. Sic *Basilicum* vel *Ocimum*, quæ in Europa plan- ta est annua, in insula Zeylandica perennem compe- riebantur esse fruticem. *Brafficam*, quæ apud nos planta est biennis, in maritimis Gvineæ arborem es- se, hominisque sæpe æquare animadverterunt crassi- tiem. *Corni* & *Sambuci* alias species herbas, alias iterum arbores videbant. Radicem deesse vel saltim non apertam in *Ulva*, *Visco*, *Fuco*, *Zosteræ*, *Najade*, *Ceratophyllum* & *Spongia* (a). Caulem nullum in *Car-*

linæ, folia in *Cuscutæ*, pedunculumque in *Phyllantho* vix reperiri (b). Corruentibus sic systematibus hisce, nil amplius, præter fructificationem, in plantis certi aderat, quam in nullo deesse sciebant vegetabili. Plura itaque huic superstrui inceperunt plantarum parti Systemata, quæ a *Gesnero* inventa, a *Cæsalpino* vero in usum deducta, per plures tamen annos deinde, quasi oblivioni tradita fuit; sed tandem resuscitata, quum in medio circiter seculi XVII:mi aurea illa inceperit Botanices epocha, qua plurimi, maximique variis in terræ partibus viri, una quasi huic operam dederunt scientiæ, fructificationique sua superstruxerunt Systemata. Nihil tamen singulare propter systematum suorum defectum varietatemque in emolumentum scientiæ conferre potuerunt, usque dum ille seculi sui ornementum, Botanicesque felicissimus Reformator, LINNÆUS, systemate suo evulgato, illis in labyrintho Botanico hærentibus, filum quasi porrexerit ariadneum, indubitateisque ostenderit argumentis, omnes partes fructificationis simul sumendas esse, si alias certum quid de vegetabilibus haberi possit. Nec hoc contentus, ad genera etiam, species & varietates luculenter describenda, inq; ordinem referenda aptissimum pergit, idque tanto cum successu, ut mirari certe quemcunque oporteat, unius ad tam varia suppetere potuisse industriam.

Huic igitur Systemati tanquam omnium huc usque editorum optimo, auctor Floræ suum adstruere debet opus. Negari quidem non potest, Systema Na-

tura-

turale, si unquam certum inveniri obtingeret, omnibus aliis palmam præripere. Interea, quādiu inter desiderata maneat, Systema sexuale LINNÆI, cæteris omnibus huc usque editis præferens dum esse quisque fatebitur.

(*) Præstantiam methodi *Systematicæ*, in genere, præ *Empirica* vel *Synoptica*, neminem vel in dubium vocare velle existimaverimus, adeoque heic de demonstratione ejusdem supersedemus; alias bac de re passim in scriptis LINNÆI legi potest, in primis. *Præf. ad Class. Plantar.*

(a) *Linn. Phil. Bot.* p. 265. (b) *Vires Plantar.* p. 12.

§. III.

IN definiendis vel determinandis SPECIEBUS, iisq; ab omnibus reliquis ejusdem generis distingvendis, quæ de definitione in Logica præcipiuntur, necesse est observet Botanicus. Nam uti in definitio-
ne requiritur, quod adsint notæ rem definitam ab omnibus aliis rebus discernentes, eæque essentiales, quodq; definitio sit clara, nec per Synonyma valeat. Ita quoq; in differentiis adornandis specierum notæ adhiberi debent essentiales, quæ nimirum speciem definiendam ab omnibus aliis ejusdem generis distin-
ctam faciunt. Requiritur quoque quod sit clara, ut nimirum eo melius intelligatur, nec per synonyma valeat, quæ sæpius æque obscura & insufficientia sunt, ac si nulla adessent.

Differentias illas essentiales, quas Botanicus adhibere debet, constituunt Radix, Truncus, Folia, Fulcra, Hybernacula, Inflorescentia, Fructificatio &c.
quæ

quæ nimirum constantes mutationique minime obnoxiae partes sunt plantarum. E contrario vagæ, inconstantesque differentiæ sunt, quæ a tempore florendi, magnitudine, loco natali, colore &c. desumuntur (a). Ex illis itaque plantarum partibus differentias depromere debet specificas Botanicus, has vero ut lubricas respuere.

Nomen specificum igitur plantam a speciebus aliis omnibus sub eodem genere comprehensis distinguet: requiritur ergo ut novum nomen specificum confecturus, plantas omnes cognoscat; cum vero paucissimis id datum, numerum Botanicorum illorum, qui vera & sufficientia nomina specifica formare valent, peregrinum esse non difficile intelligi potest. Cum autem in *Speciebus Plantarum*, nobilissimus D. D. LINNÆUS, Botanicorum omnium facile princeps, vegetabilibus fere omnibus, nomina specifica optima imposuerit, & vix ulæk, vel certæ paucissimæ in Europa dentur herbae, quarum in opere hoc mentio non facta sit, Floristæ Europæo nulla nomina specifica nova fingere, quamdiu illorum copia in operibus Linnæanis detur, quam novis confectis catervam jam immensam synonymorum minus utilium augere, longe utilius & melius est.

Quoniam differentiæ plantarum sæpius prolixæ sunt, incommodumque, quavis vice, dum species nominanda est, totam repetere esset differentiam, aptissime post nomen specificum, vel etiam ad calcem synonymorum, adhiberi possunt nomina (ut

a

a nobiliss. LINNÆO vocantur) trivialia, qualiaque
in herbas Sveciæ Pan Svecicus suppeditat, sed ad-
huc melius a speciebus Plantarum deponi possunt.
Optandum esset, eadem tam ingeniosa semel tra-
di posse, ut differentiam plantæ maxime essentia-
lem unico exprimere possent tali cognomine: va-
ria certe se hoc commendaret utilitate.

§. IV.

Consuetudo in orbe jam dudum obtinuit Bo-
tanico, ut nominatis & definitis speciebus, et
iam nomina aliorum celebrium Botanicorum ad-
derentur, idque eum in finem, ut tam ad illustra-
tionem definitionis propriæ, quam ad evitandam
confusionem ex diversa oriundam denominatione,
conducerent. Hoc etiam hunc habet usum, quod
quum Botanicus, plantam secundum aliquod Syste-
ma examinans, librum vel bene non intellexerit,
vel alii consuetus Systemati, hujus ut novi & pla-
ne alias usu tædio citius afficeretur, Synonyma sta-
tim inspicere potest, quæ & nomen & descriptio-
nem ejus consuetam indigitant. In usu tamen eo-
rum probe est observandum, quod non adhibenda
sint perplura, quæ nempe ad nihil aliud, quam pa-
ginam explendam, librumque majorem incommo-
dioremque efficiendum, conducunt. Negari qui-
dem non potest, vegetabilia a tam multis auctori-
bus, plurimis nominata esse nominibus, varieque
descripta, videreturque quasi ad omnia nomina eo-
rum intelligenda, Synonymorum enumeratio neces-

B

fario

fario requiretur. At quod ad antiquiores, eorumque pertinet descriptiones & nomina, in Casp. BAUHINI recensita habentur Pinace, adeo ut ejus evolutione opere, quomodo omnes antiquiores plantam nominaverint, descripferintque, cuique pateat. Quod ad reliquos, qui post Bauhini tempora, opere aliquo Botanico inclaruerunt, adtinet, semper aut nomine C. Bauhini, (si in Pinace ipsius plantæ ab iis enumeratae inventæ sint) usi fuere, aut ejus mentionem inter Synonyma fecere. Hinc apprime necessarium est, nomini Bauhini, mox post nomen specificum locum concedere, si scil. tale detur.

Nomini Bauhini addendum est Synonymon libri illius, in quo optima DESCRIPTIO plantæ habetur denominatae, ut is, cui nomen specificum minus perspicuum videtur, descriptionem herbæ optimam, majoris certitudinis caussa consulere queat. Si vero plures herbam quandam bene descripferint, is præ cæteris nominandus est, cuius opus facilius obtineri potest, quodque inter libros rariores, & cuivis non facile obvios, numeratur. Plantam autem minus bene antea descriptam, vel plane novam, auctor Floræ ad regulas artis in observationibus plantæ subjectis describet, de quibus plura infra §. XIII.

Descriptorem præstantissimum excipit ICHNIOGRAPHUS vel optimus vel usitatissimus. Idem de hoc valet, mutatis mutandis, quod de descriptore dictum est. Indicandus nimirum est liber, in quo herba proposita ad ductum naturæ optime depingitur, qui-que non magno stat, vel rarissimus est, sed facile adiri

adiri potest. Iconem vero plantæ, antea nunquam,
vel male delineatae, auctor Floræ dabit.

§. V.

Varietates specierum primarias, legitimasque, non
mini generico & specifico addat necesse est, Bo-
tanicus, omnes. Per varietates autem intelligo o-
mnes differentes plantas, ex ejusdem speciei semine
productas. vid. *Linn. Phil. Bot.* p. 100. Inutilis qui-
dem labor hic multis videtur, sed re bene perpen-
fa magnam habet utilitatem, pernecessariusque est.
Eo enim, quod varietates excludantur, vel minus
necessariae judicentur, Tyroni ansa datur minorem
curam in cognitione & inspectione plantarum adhi-
bendi; nam diversas species saepe pro varietatibus
unius ejusdemque plantæ habet, adeo ut neglectus
varietatum etiam incremento Botanices obfit. De
cætero caute Botanico incedendum est in determi-
nandis varietatibus, ne plantas specie diversas varie-
tates pronunciet; varietatem enim novimus esse
plantam mutatam a causa accidentalis, Climate, so-
lo, colore, ventis, &c. & quæ in solo mutato re-
ducitur. *Linn. Phil. Bot.* p. 100. Longo igitur tempo-
ris intervallo opus est, variisque experimentis, an-
tequam tuto & recte definiri potest, an planta quæ-
dam, quam diversam speciem multi judicarunt, pro
varietate tantum habenda sit. In re minus mani-
festa minusque clara, ubi scil. dubium oritur, an
planta quædam specie vel varietate solum ab alia
diversa sit, tutius fortassis effet, ob rationes allatas,
eam pro distincta specie habere, usque dum certio-

ra innoteſcant. Sic multi *Brassicam capitatam album* C. B. (Hufwudkål), *Brassicam sauliforam* C. B. (Blomkål), & *napobrassicam* C. B. (Rotkål) eſſe tres diuersas species credunt: variis etiam *Piſum arvenſe* B. C. (Gröna Årter), *Piſum cortice eduli* Tournef. (Säcker-Årter), *Piſumque humile caule firme*, Tournef. (Kryp-Årter) diſtinctæ species videntur; & ſic in multis aliis. Nos litem hanc nondum penitus di- remtam eſſe contendimus. Dantur quoque plures varietates, quæ tam diuersæ ſunt formæ, ut diſtin- gutas eſſe species primo intuitu quiske opinaretur, e. g. *Viola Fl. Sv. 725.* Eapropter Floriftæ eſt, le- gitimas varietates cujuscunque ſint speciei, differen- tiis ſuis proferre, & ubi permagna inter ejusdem speciei varietates quoad uſum aderſet differentia, speciei modo, breviter tamen, easdem tractare de- bet. Multæ etiam funt varietates, quæ diuersam ab aliis ejusdem speciei habent vim & efficaciam, e. g. varietas (θ) in *Myosotis Fl. Sv. 149.* quæ fe- cundum obſervationes nobiliss. D. Architri LIN- NÆI ovibus noxia eſſe creditur, dum altera tamen, quantum notum, innocens eſt. Præterea non mi- nimum hac varietatum enumeratione, Botanicæ ful- goris & præstantiæ additur, quum major ſemper nu- merus incolarum, uti reipublicæ cuidam, ita & Bo- tanicæ, majorem quoque conseruat dignitatem.

In varietatum determinatione color florū fi- ne ratione non omittendus eſt. Probe tamen ſciat Florifta, quævis naturæ monſtra, luxuriantesque plantas vel alia ejusmodi, pro varietatibus legitimis mini-

minime statim habenda esse. Leges, quas circa adumbrationem varietatum Botanicus observabit, legi possunt in *Phil. Bot. c. IX.*

§. VI.

Determinatis speciebus, additisque Synonymis & varietatibus, NOMINA plantarum REGIONIS illius VERNACULA adponenda sunt. Si varietates quoque ab incolis nominibus distingvantur, etiam eadem attingat Florista. In unico non acquiescendum est nomine, sed si plures habeant denominaciones plantæ in pluribus provinciis, separatim quoq;, provinciarum mentione facta, ponendæ sunt. Majoris hæc res est momenti, quam quisque primo intuitu crederet. Eo enim, quod nomina cujusque provinciæ enumerentur, non modo Botanicis, sed etiam aliis in scientia non versatis inservitur. Ductu enim nominum lingvæ vernaculæ, usus Oeconomicos & Medicos, aliaque notatu digna in Flora exposita, in rem suam convertere potest idiota. Si herba est Officinalis, eandem colligere, Pharmacopolisque vendita, quæstum facere licet. Præterea hoc advenis & peregrinatoribus non minimum expedit. Perspecto enim ex Flora nomine plantæ vernaculo regionis, in qua versantur, si rarior, ab incolis locum ejusdem percontari natalem, variasque de usu ejusdem quæstiones adferre possunt, quæ omnia, plantæ non cognito nomine vernaculo, vix ac nec vix quidem adsequerentur. Ut taceam ex vulgi nomine saepius ingeniose formato, naturam viresque plantarum hand raro innotescere.

B 3

§. VII.

§. VII.

Nomina regionis vernacula, DENOMINATIO PLANTÆ OFFICINALIS, sive a Pharmacopœis usurpata, excipiat. Hoc tanto magis necessarium est, quum collectio plantarum officinalium potissima saepius Floræ consignandæ & edendæ fuerit caufsa. Eo enim, quod nomina exhibeantur Pharmacopœorum & Officinalia, multum utilitatis reipublicæ adfertur. Nam, quam necessaria Pharmacopolia & Officinae in republica sunt, tam necessarium quoque est, ut copia plantarum necessariarum instructa sint. Si domi sive in Patria ipsa herbae officinales non inveniuntur, ab exteris magno pretio emendæ, quæ saepius tam obsoletæ, in veteratæ, situque corruptæ sunt, ut exspectationem Medici iisdem utentis decipient. Præstat igitur eas domi meliores, & absque ullo reipublicæ damno habere. Præterea notum est, quantum cultura plantarum officinalium sagaciores quædam nationes lucri faciant. Botanici ergo est, omnem in id collicare operam, ut plantæ hujusmodi Officinales, intra Patriæ limites reperiantur, culturaque earum publicæ inserviat felicitati.

Pharmacopola ipse ope Floræ regionis scire potest, quænam plantæ officinales in Patria habentur, quæque ab exteris arcescendæ: An tanta quædam inveniantur copia, ut non solum ipsi sed & exteris sufficient. Medico, Sacerdoti, aut alii cuidam Medicæ perito, a Pharmacopolio procul degenti ex ejusmodi Flora perspectum est, quæ in ea regione plan-

plantæ officinales prostent, ubi versatæ. Fortassis nōmīni officinali aptius ad calcem inter Medica locus concedentur.

§. VIII.

His omnibus recensit, LOCA NATALIA plantarum, solicitam Botanici operam postulant. Hæc in plerisque diversa sæpe deprehenduntur. Aliæ enim plantæ in campis, in pratis aliæ, quædam in locis siccis, multæ in humidis proveniunt: lacus suas habent: in mari multæ domicilium elegerunt: Alpibus sua concessa sunt vegetabilia. Solum etiam plantis diversis diversum est; multas humus pinguis alit; aliis argilla, lapides, arena, creta, glarea, variaque alia genera terrarum, plantæ denique ipsæ habitacula præbent. Sapientia Numinis ita consultum duxit, ut nulla pars terræ suis destitueretur incolis & ornamenti. Sic novimus Alpes, durissimas illas & frigidissimas terræ partes haud vacuas relictas, sed a Creatore propriis multiplicibusque donatas esse plantis, & quod mirabilius est, plerasque pulcherrimas, humano generi sæpe utilissimas, plurimasq; earum ejus indolis, ut in aliis, quamvis etiam optimis & fertilissimis terræ partibus, aut in totum non inveniantur, aut satæ, vel non, vel minus bene valeant. Nec sufficit locum plantæ natalem, solumque nominasse, addendum etiam est, an planta vulgaris sit, vel non, an vulgatissima vel rarissima; an olim peregrina, jam vero introducta, Climati adsveta, & indigena facta; an utilitatis causa colatur; an certam elevationem poli observet; & hujusmodi plura.

Cogni-

Cognitio hæc plantæ loci natalis, maximam Oeconomia utilitatem præbet. Perspecto enim eodem, ubinam quærenda est planta, novit; & ubi steriliores terræ partes fœcundas reddere voluerit, minimo fieri potest negotio, eas tantum adhibendo, quae illic locum habent natalem. Hac ratione terras sterilissimas & alias minus utiles, possibile est, ad eandem fere, qua optimi agri prataque gaudent, redigere utilitatem. Praeterea aliis quoque hinc usus effuit; Cognito enim herbarum loco natali, ad qualitatem humi haud difficulter concluditur. Sic *Primula* Fl. Sv. 162. *Pinguicula* 21. *Cynosurus* 82. *Aira*. 71. *Filipendula*, 405. *Aster*. 696. *Comarrum*. 422. humum indigitant frigidam, humidamque. Qua cognitione quantum Oeconomus prudens lucri facere potest, quisque videt.

Inventor plantæ rarae etiam hic nominari potest.

Exposito loco natali, DURATIO plantæ, paucis indicanda est, annua ne nimirum sit, vel biennis, vel perennis; sitne herba, subfrutex, frutex, vel arbor. Fruticibus & arboribus fortassis summus gradus aetatis addi posset. Maximaæ hoc Hortulanis, aliisque oeconomiae studentibus utilitati foret, aliam enim curam plantæ annuæ, aliam perennantes requirunt, nec aequali cultoribus emolumento utræque semper sunt.

§. IX.

TEMPUS plantæ VIGENDI deinde sequitur, cuius plures sunt species, e. g. *Germinatio*, seu tem-

tempus, quo semina terrae mandata excluduntur. *Frondescientia* sive tempus aestatis, quo species singulae plantarum prima folia explicant. *Exflorescentia*, sc. tempus, quo singulae species plantarum primo sflores ostendunt. *Fructescientia*, sive tempus, quo semina matura dispergunt plantae. *Defoliatio*, sive tempus autumnale, quo arbores folia dejiciunt; de quibus omnibus vid: *Linn. Phil. Bot. p. 270. seq.* Floræ certae alicujus urbis aut paroeciae haec omnia com mode inferi possunt, non autem ita feliciter in vasti cujusdam regni aut provinciae adhibentur, quum in variis & longe a se invicem distantibus locis ejusdem regionis ista singula varie & differenter se habeant. Sufficit si in Flora totius cujusdam regionis exponantur, quales annuae vicissitudines sive mutationes plantarum, vel in ipsa metropoli, vel in alio quodam loco, sive in meditullio sito, sive alibi.

§. X.

Usum in Flora plantarum Oeconomicum & Medicum, prae aliis rebus attingat Florista. Ubi enim cognitionem herbarum in felicitatem reipublicae vertere non possumus, inutilis omnino, & tricis Metaphysicis assimilanda est scientia nostra optima. Eum ergo in finem Botanicus, iter in provinciis, quarum Floram adumbrare cogitaverit, faciens, omnibus, etiam vilioribus & simplicioribus earum incolis, varias de herbis, earum nominibus, loco natali, usu Oeconomico & Medico quaestiones proponere non intermittet. Notum est,

C

plu-

plurimas optimasque Medicinas fortuito, & a rudi-
bus viliorisque conditionis hominibus primum, in-
ventas esse. Sic agrestes Americae incolae usum
Chin Chinæ in febribus criticis, radicis Senegae in
ictu serpentis primi docuere, quamvis alias inter
stupidißimas, minimeque exultas habeantur na-
tiones. Similiter quoque in Oeconomicis pluri-
marum rerum utilium, plebeji homines primi in-
ventores fuere.

Quod ad USUM OECONOMICUM in specie
adtinet, eum vix vel certe parcissime in operibus
suis plurimi Botanicorum huc usque attigerunt, cum
tamen si non magis, saltim aequo necessarius est,
ac caetera, quae in Floris traduntur. Maximam e-
niam utilitatem Oeconomiae genuina Botanices
tractatio pollicetur. Sed cum modus vegetabilibus
in Oeconomia rite utendi in Flora aliqua haud
commode describi possit; optandum esset, ut Bota-
nicus quis celebris, usus Oeconomicos plantarum Eu-
ropæ, vel etiam Patriæ suae omnes, qui in plu-
rimis voluminibus sparsi inveniuntur, in unum o-
pus congestos orbi eruditio traderet, quum paucis-
simis alias libros Botanicorum, ob maximam di-
versitatem nominum plantarum, intelligere datum
sit.

Floristæ interea usus, quos habet vegetabile
quocunque, Oeconomicos, sive in agricultura, si-
ve in particultura, sive in artibus, sive in re pe-
cunaria, sive in cibis, sive in aliis quibuscumque,
omnes, in opere suo brevissime enumerare, in-
cumbit.

Qui,

Qui, (usus) ab aliis sufficienter expositi sunt, Florista non repetat, ne & pretiosior, & minus portatilis (ut vulgo dicitur) evadat liber. Sufficit tantum allegare auctores, unde lectores eosdem haurire possunt. Ubi vero vel male descripti usus, vel nondum in aliis reperiantur operibus, modo, quo fieri potest, optimo, brevissimoque eosdem proferat, necesse est.

Hoc facto, quibusnam ab ANIMALIBUS, cibis in primis, quaevis ADPETANTUR vegetabilia, & a quibus respuantur, ostendet. Non tamen sufficit indicasse, quaenam animalia domestica hanc vel illam herbam comedunt; sed praecipue addendum, an ejusmodi herba ipsis vel magis vel minus grata: an esca huic vel illi pecori gratissima sit. Nobiliss. LINNÆUS primus fuit, qui necessitatem observationum ejusmodi Botanicis & Oeconomis demonstravit, quem postea plures rei praestantiae convicti imitati sunt. Magno certe cognitio haec rei pecuariae erit emolumento, ubi semel ad exoptatum provehi posset fastigium; ejus enim ope, plantas quibusunque expetas pecudibus pro arbitrio in commodum suum vertere, eaque omnia quam maximi facere posset lucri Oeconomus.

Recentiori tempore PROGNOSTICA & HOROLOGIA VEGETABILIUM observare cœperunt Botanici. Nobiliss. LINNÆUS etiam hic primus & fere solus est, qui hac in re aliquid tentavit. Magnam, fine dubio, Oeconomiæ ejusmodi observata adferent utilitatem, ubi copiam eorum largiorem nanciscimur. Sic

C 2

e. g.

e. g. *Rhinanthus*. H. Sv. 502. aridorum suorum semi-
num quassatione, *Parnassia*. 252. efflorescentia fœnise-
cii tempus indicant, *Colchicum* florescentia sua au-
tunni & gelu nuncia est. *Pbil. Bot.* p. 272. *Calendula Hort.* *Ups.* p. 274. n. 2. pluviam mane præfigit.
Scrophularia sibiricus si noctu claudatur, proxima dies ple-
rumque serena, si vero aperto flore per noctem
vigilet, insequens dies plerumque pluviosa erit, *Phil.*
Bot. p. 88. 203. *Betula* 775. si majorem in modum hye-
me rubescat, mitiorem exspectant ruricole tempesta-
tem. De Horologiis plantarum (ubi scil. multi flo-
res, ad certam horam diei aperiuntur, expanduntur
que, atque etiam ad certam horam clauduntur), le-
gi potest Linn. *Phil. Bot.* p. 272. seqq.

Quamvis scientiæ hæ defectu observationum man-
eæ adhuc sint, sperandum tamen est, successu tem-
poris, varia hisce in rebus, & Oeconomis & Hortu-
tanis utilissima, detegi posse.

§ XI.

USUS vegetabilium MEDICUS hunc sibi in Flo-
ra vindicat locum. Enumerandi hic sunt mor-
bi, quibus curandis planta infervit: auctores, modum
planta eadem rite utendi demonstrantes, nominandi:
sicubi ab incolis contra quosdam morbos feliciter
adhibetur, usus autem hic Medicos & Botanicos
latet, breviter, sufficienter tamen, describendus est.
Plantas viribus eximias, ab officinis tamen non re-
ceptas, indicabit Florista: Qualitates & vires Medi-
cæ, partes plantarum in Pharmacopoliis venales, si
fieri potest, addentur.

§ XII.

§. XII.

QUÆ IN quoque vegetabilî habitent INSECTA, Florista ad calcem cujusque speciei, allegando Faunam Svecicam, vel alium quemcunque Entomologum vulgatum enumerabit. Novum quidem hoc est, Entomologiam Botanicæ immiscere, nec nisi temporibus recentissimis usu receptum. Paucissimi etiam fuerunt, qui animalcula hæc sua attentione dignati sunt, quoniam tam parva contemtaque sunt, nec quicquam efficere posse crediderunt. Et licet quidam maxima illa facere incommoda perspexerint, ea tamen vel ineptis modis depellere conati, vel etiam ut pœnâ singularera, per miraculum ferre illis a DÆO immisram, patienter perpeſſi sunt, non perpendentes, hæc omnia in natura rationem agnoscere suam, & etiam hoc modo pro pœna habenda esse, in quantum ratione sua ad hæc penitus perscrutanda, remediaque contra hæc mala paranda, usi non sint. Novimus quantum hæc animalcula nobis pariant incommodi. Hortos enim amœnissimos & utilissimos, qui magnis ſæpe coluntur impensis, haud raro miserrime devastant, Dominosque ſpe luxeroque exinde proventuro maximo, defraudant. Integra nemora, & silvas, foliis pulcherrimis suis ornamenti despoliant. Agris, quibus in temporalibus nobis nil utilius nil melius Summum Numen dedit, irreparabilem ſæpe adferunt noxam. Prata, matres agrorum, & Oeconomiæ privatæ maxima suffentacula haud raro ita depravant, ut exspectationi minime respondeant. Jumenta & pecora ſæpe ad necem vexant, varia corro-

C3

dunt

dunt & corruptunt supellectilia, imo hominem ipsum nec intactum relinquunt. Contra, videmus quædam illarum, utilitatem humano generi tam mediate quam immediate, maximam adferre, quæ quoniam in variis scriptis, quæ omnium manibus teruntur, sat luculenter exposita sint, hic reperire inutile duximus. Quantæ, cognitio insectorum utilitatis sit, Theologo, Philosopho, Philologo, Medico, Jurisconsulto, Oecono mo & aliis, alii dixerunt; breviter tantum addendum, quæ Botanici hic erit cura. Notum est, plurima insecta plantas inhabitare, exinde nutrimentum suum quærere, earumque operationem vitamque suam totam peragere & sustentare. Hæc vero vel utilia sunt, vel noxia. Si utilia, quisque edoceri potest, in illis eadem quaerenda esse plantis, hincque alimenta eorum desumi posse. Sin vero noxia, variis secundum varias res, excogitari possunt modi, quibus facilime & commodissime illa depellere delereque homines queant. Verbo: cognitis insectis, plantisque super quibus degunt, varie in commodum suum cognitionem hanc vertere potest unusquisque.

In describendo vegetabili quodam, quod magnum habitat agmen insectorum, integra nomina eorum specifica exprimere necesse non est, alias hæc sola totam explerent paginam. Sufficit nomen genericum, numerumque ex Fauna regionis vel alio quounque opere allegare, ubi Lector Entomologus insecta eadem optime descripta, synonymisque secundum consuetudinem adpositis inveniet.

§. XIII.

§. XIII.

POst enumerationem insectorum, variæ OBSERVA-TIONES & illustrationes BOTANICÆ inseri possunt. e. g.

Si herba nova est, vel male admodum ab aliis adumbrata, descriptio propria, ad regulas artis facta, tradenda est.

Perutile Tyronebus quoque esset, si præter nomen verum specificum, plantam ab omnibus aliis in toto orbe ejusdem generis speciebus distinguens, etiam ad calcem nomen specificum articiale adderetur, notas tantummodo illas continens, quæ ad plantam ab aliis sub eodem genere comprehensis indigenis distinctionem faciendam sufficerent. Dici vix potest, quantum hoc facheret ad faciliorem plantarum cognitionem. Cum enim in nomine specifico vero, ejusmodi notæ recensentur, quæ plantam ab omnibus aliis sub eodem genere militantibus, distinguunt; notæ autem hæ tam ob multitudinem specierum certorum generum, quam ob defectum observationum, sæpe ab ejusmodi partibus desumptæ & desumendæ sunt, quæ vel non semper in planta adsunt, vel non ita facile in oculos cadunt, e. g. ex duratione, flore, fructu, radice, aliisque; nomina ejusmodi specifica sæpe minus clara, atque investigatio plantæ minus facilis evadunt: in nomine vero specifico artificiali hæc omnia evitantur. Brevissima autem & facillima via ad cognitionem plantæ, licet artificialis, tamen optima est, quamdiu naturalis nondum inventa.

Quod de nomine specifico vero & artificiali di-

ctum

Etum est, etiam mutatis mutandis de charactere generico essentiali atque artificiali pronunciatum volo; ad cognitionem plantarum faciliorem reddendam notæ artificiales eligendæ, quibus genera indigenarum plantarum facillimo negotio a se invicem distingvantur.

Etymologia nominis generici breviter fortassis dari posset, quo nomina eo facilius memorie mandarentur.

§. XIV.

Quænam nomina atque res nova linea incipienda vel aliis litteris exaranda sunt, e scriptis Linnæanis peti possunt.

Ne opus in magnam molem excrescat, liberque ad excursiones Botanicas minus utilis evadat, characteres quidam, vel etiam sic dictæ abbreviationes comprehendii caussa adhiberi possunt. Ejusmodi usus est nobiliss. LINNÆUS in Pane Svecico, atque etiam quod ad durationem vegetabilium in speciebus Plantarum.

In gratiam eorum, qui plura opera Botanica emere non valent, ad calcem Floræ catalogus brevis Systematice tamen conscriptus, Plantarum in Patria Cerealium & hortensium, addi etiam potest.

Floram claudat Index sufficientissimus, non solum nominum genericorum, synonymorum, trivialium, Pharmacopoerum, vernaculorumque, sed etiam & in primis rerum.

§. XV.

§. XV.

Flora, secundum regulas, quas hic dedimus adumbrata non posset non varia in vita humana se commendare utilitate. Omnes enim, quæ Botanicen vel tantillum præsupponunt scientiæ, hinc varia ad usus suos colligere possent. Botanici hic plantas, secundum optimam huc usque inventam methodum, rarioresque, vel etiam novas optime descriptas, vel etiam alia rem herbariam illustrantia, haberent. Medicis, quorum potissimum est, plantas vel quoad vires suas rimari, vel jam rimatas ad varios applicare morbos, Floram hujusmodi nec ingratam existimaverim. Entomologi, quænam in quibusunque plantis habitent insecta, & exinde varia in emolumen-tum scientiæ suæ lucrarentur. Sacerdotes, præcipue ruri degentes, perspecta qualitate cujusque plantæ, usque tam in Oeconomicis quam Medicis, & sibi ipsi & auditoribus suis vario inservirent modo, sive non tantum æternæ, sed & temporalis eorum felicitatis promotores evadentes, majorem sibi comparent amorem observantiamque. Nonne enim plurimæ sunt herbæ indigenæ, quæ in annonæ caritate ciborum vicem supplere possunt? Sacerdos igitur has calamitoso ejusmodi tempore pauperibus demonstrans, multa milli incolarum periculo mortis eripit. Quantæ Pharmacopolæ ejusmodi Flora esset utilitati, antea dictum est. Opifices, quibus vegetabilium usus curæ est, cognito loco natali, eorumque utilitate, varia in Patriæ salutem etiam hinc conferre possent. Sic multæ plantæ in arte tinctoria usum

D

maxi-

maximum habent. Aliæ multum olei dant: quarundam arborum ligna tornatoribus experta & præstantissima: aliarum cortices aut folia coriariis inserviunt, ut cætera taceam. Hortulani, quibus apprime est necessaria cognitio plantarum ad qualitates suas, annimirum annuæ sint, vel biennes, vel perennes, sed in primis ut sciant quale solum ament &c. magnum certe hinc facerent lucrum. Legi hic merentur elegantissimæ LINNÆI observationes, Actis Acad. Reg. Holm. A. 1739. p. 5. seqq. insertæ. Pratorum cultoribus maximum hinc adflueret commodum; cognitis enim plantis cuivis pecori gratissimis ac saluberrimis, cognito etiam loco earum natali atque solo, prata non nisi seminibus graminum herbarumque præstantissimarum conserere possent, & loca aridissima, humidissima vel sterilissima pascua rederent lætissima. Emendationem pratorum sine cognitione ejusmodi plantarum, nunquam rite & cum insigni fructu pæagi posse, contendimus. Quantum rei pecuariæ operam navantes e Flora sic conscripta boni adsequuntur, non multa eget demonstratione; omisso enim emolumento, quod e pratorum vera cultura fluit, de quo nuperrime actum est, novimus pecudes multis morbis obnoxias esse, qui nunquam, neglecta notitia plantarum, radicibus tolli possunt; quis, quæso, ruricolæ fructus ex libro medelam morborum pecorum docenti, non cognitis plantis in eodem contra infirmitates illas laudatis? Nonne multæ dantur plantæ venenatæ, quæ persæpe pestis instar in pecora grassantis, integras rustici pecuarias brevi tempore destruunt,

struunt, uti plura quotidiana comprobant exempla; possuntne autem plantæ hæc fine Scientia Botanica cognosci & quam facile vero malo huic a plantarum perito occurritur!

§. XVI.

UT clariora evadant, quæ in superioribus a nobis allata sunt, sequens addere lubet exemplum.

RIBES ad Pentandr. Monogyn.

RIBES inerme, racemis glabris pendulis, floribus planiusculis. *Linn. Sp. 200: s. conf. Fl. Sv. 197. Fl. Lapp. 68.*

Grossularia multiplici acino, sive non spinosa hortensis rubra, sive Ribes officinarum. *Bauh. Pin. 455.*

Ribes vulgaris fructu rubro *Raj. Hist. 1485. descr.*

Ribesium fructu rubro. *Dod. pempt. 749. f.*

Ribes rubrum. *nomen triv.*

Æ. Vitis vinifera, Ribes sylvestris, fructu majore.

Rudb. it. 9.

Svecis *Vinbær*, Seanis *Reps.* Bahusis *Rips.* Fennis *Vinemarja*.

Habitat in Lappmarckia & passim in Sveciæ provinciis, licet rarius; copiosissime prope Tornoam, & in maritimis Ostrobothniæ. Colitur etiam in hortis ob fructus præstantiam. Frutex.

Aboæ Anno 1754. d. Maji 10. pr. fol. Maji 20.

pr. flor. Julii. 19. pr. bacc. met. Octobr. 19. fol. decid.

OECON. Sepes vivæ. Baccæ comeduntur crudæ; in iusculis. *Egerins bush. b. 18.* Rob & gelatinæ variæ.

Egerin.

Egerin. *bush.* b. 122. *Raj.* hist. 1485. Cupediæ *Egerin* 152.
Clibanitæ Egerin. 188. Condimenta *Egerin*. 284. *Dalm.*
Redd. 181. Integræ asservantur. *Egerin*. 288. *Harl.* it 1750.
p. 135. Vinum optimum. *Linn.* it. *Scan.* 407. *Harl.* it.
1750. p. 79. *novell. erud.* 1752. n. 30. *conf.* *Rudb.* *Atlant.*
T. III. p. 506. 508. Acetum. *Dalm.* *Redd.* 165.

Pan. Capri & Equi I. cum aliis incert.

MED. Pharm. RIBIUM RUBRORUM baccæ conditæ, Rob. Qual. acida, rubra, vis refrigerans. Uſus, Febres ardentes. *Raj.* *Hift.* 1485. Alvi fluxus. *Raj.* *I. c.* Pestis. *Lind.* de peste. p. 42.

INSECTA. Papilio Fn. 775. Phalænæ 845. 849.

Aphis 704. Acarus 1201.

Obs. Bot. Ribes nom. Arab. *Obs. gen. flor.* polypet. petala & stamina calyci inserta. *Obs. ſpec.* Florefc. racemis pendulis, fruct. etiam bacc. rubr. acid. Planta Septentr. Etiam in America Septr. spontanea. Omnibus fere modis facillime propagatur.

